

Petrus de Vinea

*Ep. III 34 (Presto nobis est
causa, procer egregie...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 34 (Presto nobis est
causa, procer egregie...)*

fine 1245?

Comiti... super eodem uel quasi.

1. Presto nobis est causa, procer egregie, unde tuae deuotionis sinceræ constantiam, quam in seruitiis nostris obsequiosus exerces dignæ laudis titulis et gratiarum uberum relatibus uel relationibus prosequamur, dum præter alia puritatis insignia, quibus te nostri honoris præ ceteris cognoscimus zelatorem, illud uenit precipue uotis nostris accomodum, quod nuntios nostros per ciuitatem Venetiarum hinc inde transitum facientes a te ac Venetis aliis fauorabiliter comperimus honorari, et quæ familialiter erga personam nostram ostendere, locorum intercompede prepediente, non potes, bonæ uoluntatis indicia pretendis in nostris. 2. Cum lex etiam Euangelica doceat, quod Domino cedit ad gloriam, quicquid uni ex minimis eius prona deuotione confertur, fauoris nostri gratiam tibi proinde grata cordis nostri affectione promittimus, et tuæ sinceritatis obsequia in retributionum nostrarum examine magnifice disponimus et munifice compensare. 3. Tu igitur, honorem nostrum ubilibet solita magnanimitate procurans, sic studeas futuros actus tuos continuare præteritis, ut gratiæ nostræ fructum, quam erga te de precedentium seruitiorum exhibitione concepimus, in posterum ex prosecutione sequentium protendamus.